





CHARTA
ROBERTI SENESCHALLI
SCOTIÆ



MNIBUS hanc cartam visuris vel audituris^a Robertus Senescallus Scociæ, Comes de Stratherne, salutem in Domino^b sempiternam. Cum dudum venerabili Patri Domino Willelmo Dei gracia Episcopo Glasguensi fuerit per litteras apostolicas specialiter delegatum ut^c super matrimonio contrahendo inter nos & quondam Elyzabeth More, dum ageret in huntanis, non obstante impedimento consanguinitatis & affinitatis contractui matrimoniali prædicto impedimentum præstante, auctoritate apostolica dispensaret, dummodo duas cappellas vel unam pro arbitrio ipsius Episcopi perpetuo fundaremus, ac dictus venerabilis Pater, consideratis in hac parte considerandis, nobiscum super impedimento prædicto auctoritate qua supra dispensans nobis injunxerit, ut una cappellania in Ecclesia Glasguensi ad unum certum altare ad, pensionem decem marcarum sterling. annuatim percipient. de

certis redditibus nostris fundaretur perpetuo, nosque eandem cappellaniam sac fundare fideliter promiserimus infra certum tempus jam transactum, nobis tunc per dictum Episcopum limitatum, noverit universitas vestra nos ex causa præmissa dedisse, concessisse, & hac præfenti carta nostra confirmasse pro nobis & heredibus nostris perpetuo DEO, Beatæ Mariæ Virgini, Beato Kentegerno & uni cappellano celebranti & celebraturo perpetuo in Ecclesia Glasguensi predicta decem marcas sterling. ad sustentacionem ejusdem cappellani annuatim percipiend. de annuo redditu quadraginta librarum sterling. exeunte de terra del Cars Abbatis infra vicecomitatum de Stryvelyne, & nobis & heredibus nostris debito per religiosos viros Abbatem & conventum monasterii sanctæ Crucis de Edynburgh, tenend. habend. & percipiend. Annuatim in perpetuum eidem cappellano qui pro tempore fuerit per manta dictorum religiosorum ad terminos Pentecostes. S sancti Martini in hyeme per porciones æquales in liberam, puram, & perpetuam elymosinam adeo libere, quiete, plenarie, & honorifice sicut aliqua elymosina per totum regnum Scociæ liberius conceditur, percipitur, sive datur; & nichilominus totum jus nobis competens per cartam infeodacionis recondæ memoriæ Domini Regis Roberti avi nostri, sive obligatorium dictorum Abbatis & conventus, seu quascunque alias evidencias ad compellendum dictos Abbatem & conventum ad solutionem dicti annui redditus decem marcarum in Episcopum Glasguensem qui pro tempore fuerit, & Capitulum Glasguense sede vacante, per hanc cartam nostram perpetuo

transferimus, ipsosque & eorum alterum, quantum ad hoc, nostros & heredum nostrorum assignatos & assignatum facimus, constituimus, & etiam ordinamus. Et si forte contingat, quod absit, quod dictæ decem marcæ annue per dictum cappellanum qui pro tempore fuerit percipi non potuerint, ut est dictum, vel ex eo quod dicti Abbas & conventus solvere noluerint, aut compelli non potuerint ad solutionem earundem, vel ex eo quod nos aut aliquis heredum nostrorum contra præsentum infeodacionem & concessionem nostram, solutionem dictarum decem marcarum impediverimus aut am impediverit, aut per nos seu alium vel alios, clam vel palam, directe vel indirecte procuraverimus seu procuraverit impediri, obligamus nos & heredes nostros per omnia bona nostra mobilia & immobilia ad solvend.



dictas decem marcas de aliis redditibus nostris ubi Episcopus Glasguensis qui pro tempore fuerit, vel capitulum ejusdem sede vacante, duxerit eligend. toto tempore quo cessatum fuerit a solutione dictarum decem marcarum percipiend. de annuo reddito supra dicto, subicientes nos & heredes nostros jurisdictioni & cohercioni Episcopi Glasguensis & ipsius Officialis qui pro

tempore fuerint, ut ipsi per omnimodam censuram ecclesiasticam nos & heredes nostros compellere valeant ad perficienda omnia & singula supradicta, in casu quo defecerimus vel defecerint, quod absit, in aliquo præmissorum. Et ultra omnia prenotata nos & heredes nostri predict. donacionem & concessionem nostram de dictis decem marcis annuis percipiendis ut supra de annuo reddito supradicto predictis Episcopo, Ecclesiæ Glasguensi, & Cappellano qui pro tempore fuerint contra omnes homines & feminas warantizabimus, acquietabimus, & in perpetuum defendemus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum una cum sigillo^d Johannis Senescalli Domini de Kyle primogeniti & heredis nostri præsentibus est appensum. Hiis testibus, Venerabili Patre Domino Roberto Abbate monasterii de Kylwynnyn, & Dominis Johanne Senescallo fratre nostro, Hugone de Egglyntonne & Thoma de Fauside Militibus, Johanne Mercer burgenfi de Perth, Johann de Rose & de Johanne de Tayt Armigeris nostrs, & aliis. Apud Perth duodecimo die mensis Januarii anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo quarto.

^a *Observationes historicæ in chartam Roberti Seneschalli Scotiæ.* ROBERTUS SENESCALLUS SCOTIÆ] Erat is filius Walteri Seneschalli Scotiæ. Matrem habuit Marioriam Roberti I. cognomento de Brus filiam natu maximam. Unde Davide unico ejusdem Roberti I. filio absque liberis defuncto anno Domini M CCC LXX. successit in regnum Robertus hic Seneschallus jure matris, & dictus fuit Robertus hujus nominis II. ex antiquissima & nobilissima Seneschallorum familia primus. Erat autem magni Seneschalli dignitas, quam STUART vocant lingua patria, præcipuæ apud Scotos auctoritatis, qualis olim inter Francos Majorum Palatii.

^b WILLELMO DEI GRACIA EPISCOPO GLASGUENSI] Is erat Willelmus IV. cognomento *Rae*, Episcopus Glasguensis, qui federe coepit anno Domini MCCCXXXV. aut MCCCXXXVI. Extant inter instrumenta Ecclesiae Glasguensis plures chartae sub ejus nomine; inter alias duae quittance authenticae contributionis papalis infra ejus dioecesim, factae anno Domini MCCCXL. & MCCCXLI. Obiit anno Domini MCCCLXVII.

^c SUPER MATRIMONIO CONTRAHENDO] Ex his verbis atque ex tota ferie hujus chartas certò colligitur Robertum Seneschallum & Elizabetham *More* justis nuptiis ex dispensatione summi Pontificis conjunctos fuisse diù antè quàm hæc charta conscriberetur. Dispensatio porro in controversiam venire non potest, cum ei testimonium indubiæ fidei perhibeat charta foundationis capellaniæ de qua isthic agitur. Qua argumentatione facilè refellitur temeritas Georgii Buchanani, qui scribere ausus est hunc Robertum Seneschallum & Elizabetham *More* matrimonii foedere junctos fuisse anno tantum MCCCLXXIV. id est decennio post datam chartam qua testatur illos diù antè conjugium legitimum iniisse. Porrò hinc quoque infulitas Buchanani convincitur quòd, ut docent sequentia chartae istius verba, Elizabetha mortua erat anno MCCCLXIV. adeoque decennio post non potuit contrahere matrimonium cum Roberto Seneschallo. Erat porrò Elizabeth filia illustris viri Adami *More* Equitis & principis familiæ *More*, five *Moor*, potentissimæ Seneschallorum genti affinitate & confanguinitate conjuncta, uti certissimè constat ex hac charta.

^d JOHANNIS SENESCALLI DOMINI DE KYLE PRIMOGENITI ET HEREDIS] Ergo jam anno MCCCLXIV. Joannes legitimus Roberti filius & heres publicè dicebatur. Nemini enim, qui ex legitimo matrimonio procreatus non sit, tribui solere in publicis instrumentis titulum primogeniti & heredis palam est ex his quæ infra dicentur, neque indiget ampliori probatione. Falsò igitur ut cetera Buchananus tradit, illum in prima juvenia ex illegitimo Elizabethæ complexu genitum à Roberto fuisse, sed postea legitimum fuisse factum per subsequens parentum fuorum matrimonium. Atque ut omnibus pateat quanta inficitia seu veriùs impudentia auctor iste Regum omnium atque ipsius monarchici regiminis infensissimus hostis infamiam natalibus istius principis aspergere ausus sit, rem totam paulò accuratiùs tractandam duximus. Totum Buchanani commentum duobus his capitibus contineri videtur, 1º. Roberti Seneschalli primam uxorem fuisse Euphemiam *Rofse* qua, postquam plures ei liberos pepererat, anno Domini MCCCLXXIV. defuncta, Robertum secundam uxorem duxisse Elizabetham *More*, ex qua Joannem, de quo agimus aliosque liberos olim ante matrimonium suscepit. 2º. Non nisi mediante postremo hoc Roberti cum Elizabetha matrimonio & decreto trium regni ordinum in publicis comitiis Joannem Seneschallum legitimum declaratum, five legitimum & successiones capacem redditum fuisse. Prorsus assertio falsitas his argumentis demonstratur. 1º Robertum & Elizabetham dudum ante annum Domini MCCCLXIV. matrimonio conjunctos fuisse supra ostensum est. Ergo non Euphemia, sed Elizabetha fuit prima Roberti uxor. Deinde Elizabetham ante annum MCCCLXIV. defunctam fuisse ex dictis manifestè constat. Ergo non potuit esse secunda uxor anno MCCCLXXIV. Demum V. Cl. Ludovicus *Stuart* advocatus regius sub Carolo I. magnæ Britanniae Rege in Scheda quadam manu ipsius propria scripta, quam libello suo cui titulus *Jus regium*, pag. 47. inferuit V. Cl. Georgius Mackenzius advocatus item regius, testatur se plures quam viginti chartae in archivis Castris Edinburgenfis invenisse, ex quibus sole clavius elucescit Elizabetham *Moram* primam Roberti uxorem fuisse, & Euphemiam seu Euphaniem *Rofse*

secundam. Et hæc ad primum caput narrationis à Buchananano institutæ. Haud minoris momenti argumentis refellitur alterum caput fabulæ, quo asserit Buchananus, mediante matrimonio Roberti & Elizabethæ anno Domini MCCCLXXIV. celebrato, & decreto trium regni ordinum in comitiis publicis eodem anno habitis, Joannem Senefchallum legitimatum fuisse, five legitimum declaratam & fucceffionis capacem. 1°. Marrimonium istud Elizabethæ ante annos minimùm decem defunctæ absurdam est. Ergo fictitia legitimatio quæ eo nititur fundamento. 2°. Hujus comitiorum decreti io regni archivis, ubi ejusmodi acta summa cura sevantur, ne levissima quidem memoria occurrit; etfi tabulæ omnes publicæ à viris earum reram peritissimis excusæ fuerint. Inter alios V. Cl. Joannes Haius Eques, archivi five, ut vocant, rotulorum aut regestorum custos sub Carolo I. Magnæ Britanniae Rege, jussus ab eodem Principe diligenter inspicere acta comitiorum five Parlamentorum, contraria omnia reperit, idque Regi retulit. Quinetiam prædictus Ludovicus Stuart regius advocatus sub eodem principe, laudatus à Georgio Mackenzio pag. 47. supra-memorati libelli, post diligenter inspecta archiva regni, Buchananani narrationem manifestæ falsitatis convicit. Ipsi verba referimus, quoniam tanti viri testimonium maximi hac in re momenti est. *Buchananus*, ait ille, *libro ix. in vita Roberti II. affirmat Euphaniem, Euphemiam Rosse, Comitissæ Rosensis filiam, primam Roberti secundi uxorem fuisse; & ea mortua superinduxisse Elizabetham Moram, ex qua liberos ternos mares suscepisset, & eam uxorem duxisse, ejusque liberos regno destinasse, ut postea eorum natu maximus successit. Quod quàm falsum sit apparet ex archivis in carcere Edinburgenfi reconditis; ubi extant separata acta duorum Parlamentorum subscripta manibus ecclesiasticorum Præfulum, Nobilium, Baronum & aliorum statuum parlamenti, & eorum sigillis roborata, quibus Elizabetha Mora agnoscitur prima uxor, & Euphania Rosse secunda; & liberis ex Elizabetha Mora tanquam justis heredibus regni successivè regnum decernitur, & post eos liberis Euphaniæ Rosse. Necnon ibidem chartæ extant plurimæ per Davidem II. eorum patrum magnum ex diversis terris Joanni filio primogenito nepotis ejus Roberti duan Euphania Rosse viveret, necnon Davidi filio natu maximo Euphaniæ Rosse, quem solum filium indigitat Roberti nepotis; quod non fecisset, si Elizabetha Mora non prius fuisset nupta Roberto ejus nepoti. Nam primogenitus nunquam attribuitur notho. Immò ego plures quàm viginti chartas in archivis inveni, ubi etiam eas reliqui, ex quibus sole clarius elucescit Elizabetham Moram primam fuisse uxorem, & Euphaniem Rosse secundam. Nam extra controversiam liberi Elizabethæ Moræ ætate grandiores erant liberis Euphaniæ Rosse. Hæc ille. Ex quibus fictitium esse decretum illud parlamenti à Buchananano citatum nemo non videt. 3°. Jam ante annum Domini MCCCLXXIV. Quo Buchananus matrimonium Roberti & Elizabethæ, & legitimationem Joannis collocat, idem Joannes legitimus patris filius & fucceffionis capax habebatur. Istud constat ex publicis instrumentis quibus ante regnum patris *primogenitus & heres* ejus designatur; & patre jam regnante iis titulis insignitur, qui foli legitimo & indubitato regni heredi & fucceffori competunt. Jam vidimus in charta Roberti, de qua hîc agimus, Joannem à patre primogenitum & heredem designatum fuisse. Primogeniti autem, ut supra notavit juris Scotiæ consultissimus Ludovicus *Stuart*, & heredis titulus nunquam attribuitur notho. Alia ejusdem Roberti Senefchalli Charta, data anno Domini MCCCLXV. laudata à Georgio Mackenzio libelli *Jus regium* pag. 51. sic habet. *Robertus Senefcallus Scotiæ Comes de Strathern, & Johannes Senefcallus primogenitus & heres ipsius Dominus Baronia de Kyle &c.* In alia charta Davidis II. Roberti Senefchalli avunculi & decessoris ab eodem Georgio Mackenzio laudata, testes ad finem more majorum hoc ordine recensentur, *Robertus Senefcallus Comes de Strathern nepos noster, Johannes Senefcallus Comes de Carrick filius suus primogenitus & heres, Thomas Comes de Marr &c.* Hæ tres chartæ scriptæ sunt ante initum à Roberto regnum. Eo vero regnante iis titulis*